
ERYCI PVTEANI
CIRCVLVS VRBANIANVS,
SIVE
LINEA ΑΡΧΗΜΕΡΙΝΗ,
COMPENDIO DESCRIPTA:

Quâ Dierum Civilium principium Hieraticum, in Orbe terrarum hactenus desideratum, constituitur,

Ad VRBANVM VIII. *Pontificem Opt. Max.*





LOVANII,
Apud IOAN. OLIVERIVM, &
COENESTENIVM. M.DC.XXXII.

VRBANO VIII.

PONTIFICI OPTIMO MAXIMO,
SANCTISSIMAE IN TERRIS MAIESTATI
VIRTVTEM,
DIGNITATI DOCTRINAM,
DIVINA INGENII FELICITATE,
QVA MVNDVS PATET, EXAEQVANTI,
NOVVM MVNDI CIRCVLVM,
PER VRBEM ROMAM, POLVM VTRVMQVE,
ET ANTIPODES DESCRIPTVM,
VERVM ORIENTIS ET OCCIDENTIS TERMINVM,
SACRVM DIERVM PRINCIPIVM,
DESIDERATVM TEMPORIS NEXVM,
DIEM IN MOMENTO, ET MOMENTVM IN DIE,
ERYCIVS PVTEANVS

VRBANIANVM

AETERNITATIS CAVSSA APPELLANS,
D. C. Q.

ERYCIVS PVTEANVS

VIROS DOCTRINA CLAROS, TERRAE, MARIS, TEMPORVM PERITOS,

Ad NOVI CIRCVLI examen vocat.

TEMPORVM *doctrina, quâ cælum, & terra, & quicquid agunt homines continetur, amœniores ſemper mentes occupavit. Partes ejus variæ ſunt; ſed aliæ aliis placuerunt: mihi hæc potiſſimùm inter alias, ut dies, & ſic annos omnes, tanquàm unum; præteritos & futuros, tanquàm præſentes computarem. Hac induſtriâ, quæ feliciſſima fuit, ad novam contemplationem provectus, ipſum quærere dierum in Orbe principium cœpi; diverſum ſingulis hactenus populis, ut omnibus nullum eſſet: non quæſitum, quia deeſſe nemo animadvertit. A media nocte, ut civilis hodie & hieratica obtinet ratio, principium ſumimus; ſed mediæ noctis, mundum continuo ambientis, nullum adhuc principium eſt: quaſi dicam, principium principio carere. Res tanta abſolvi lineâ potuit:*

 quam

quam ut paucis nuper pagellis VRBANO VIII. *Summo & Sacrorum & studiorum Antistiti proposui: ita vobis nunc omnibus, qui terræ, maris, temporum periti estis, examinandam repræsento: ut si res inventione nova, & usu necessaria vestro quoque firmetur calculo, pretium ac pondus apud summam Purpuram inveniat: intelligant mortales omnes, quomodò principium suum dies in terris non habeant, qui incipiunt quotidie ac desinunt; quomodò accepturi, cùm hactenus non habuerint. Si rectè calculum ponimus, non potuit per tot jam annorum millia circumduci in se dies, nisi aut unus semper, & eodem esset nomine; aut duo in uno simul, ac diversis nominibus distinguerentur. Homines igitur, aut Sol ipse ab errore vindicandus est: vocandus ad* LINEAM *dies, ut lucem inveniat: vocandus* CIRCVLO, *qui ut perfectißimus sit, nomen ab* VRBANO *sumat; & ut dari ab ipsa quodammodò natura videatur, infernè per Oceanum Eoum, sive Indicum, supernè per urbem ipsam Romam, utrique inhærens polo, ducatur. Summo id quidem jure, ut ipsa Orbis metropolis è sacro Religionis solio, diem omnibus erogans, subjectâ sibi velut νυχθημέρου metâ ac termino, universam temporis dimensionem ordinet:*

net. Sic terris tandem jungentur maria, & unus erit mundus, qui luminis ac tenebrarum vicibus distinctus est: sic homines ipsi, quem quotidie vident solem, intelligent, & quem mutare navigationis circuitu solent diem, retinebunt: sic denique, omnis temporum, Sacrorum, commerciorum, eliso errore, cessabit confusio, & ordine suo res humanæ ubique decurrent. Hoc quod promo, majoris & jam parati operis specimen est, inventionis rudimentum breviter exhibens. Nunc igitur in negotio, quod omnes spectat homines, vestrum, qui inter homines ingenio, doctrinâ, peritiâ eminetis, judicium exploro. Prout quisque vel juvabit, vel monebit, bene de publico merebitur: ego autem animosius, post rudimentum, ipsum mox experimentum daturus sum; post specimen librum, non magnum aut vastum, sæculi more; quia LINEA *duntaxat erit: immensum tamen, quia universum terrarum Orbem complectetur.*

EX EPISTOLA
EMINENTISSIMI CARDINALIS
BARBERINI

Ad E. PVTEANVM, *Pontificis nomine missa.*

** Plura intelliges ab Eminentissimo D. Cardinali BENTIVOLO, qui tibi Sanctissimi D. Nostri mentem exponet, de LINEA, quam tua Vrbanitas VRBANIANAM vocat, deque regula, quam statui in Rubricis Officii desideras. Interim Sanctitas sua paternam tibi benevolentiam pollicetur, atque Apostolicam benedictionem toti familiæ peramanter impartitur. Romæ A D. XXX. April. M. DC. XXXI.

EMINENTISSIMO DOMINO
GVIDONI BENTIVOLO,
S. R. E. CARDINALI,

E. PVTEANVS S. ET LINEAM DIERVM mittit.

MAjori jam fiduciâ agam, Eminentißime Cardinalis; postquàm ad te mittere, quæ de principio νυχθημέρυ jugi meditatione designâram

ram, jussus sum. Rem usu novam (sæculo jam ad maturitatem provecto) eruere, arduum est: illi proponere, qui inter homines Summus est, & cæli in terris munia regit, non cuiusvis. Alterum meo ingenio ausus sum, alterum tuo audebo. Meum munus, tua manus erit; mea mens, tua lingua: ut quæ scripsi, ad normam sublimis judicii tui exigas; quæ breviter simpliciterque, quadam velut eloquii luce vestias & ornes. Pauca sunt, & solam LINEAM *continent: pauca, & post Annos etiam Dies corrigi posse ostendunt; relictum esse à* GREGORIO, *quod pari* VRBANVS *auctoritate præstet. Adhuc errant Anni, quia ubi incipiant Dies, constitutum non est: non possunt autem sine diebus principium suum Anni habere. Sive rem examines, novo in Sphæra Circulo opus est: sive nomen, non potest nisi ab* VRBANO *imponi. Velit ille jubeatque in Orbe principium Dierum esse, & qui finem inveniet* CIRCVLVS, *æternus erit. Faciet docta facundia tua, ut velit ac jubeat.*

ERYCI PVTEANI

CIRCVLVS VRBANIANVS,

SIVE

LINEA Ἀρχημερινὴ:

Quâ Dierum Civilium Principium Hieraticum, in Orbe hactenus desideratum, constituitur.



D majeſtatem Eccleſiæ Catholicæ facit, Divina in Orbe terrarum Officia ordine ubique celebrari. Ordo tempore definitus eſt: tempus ſeptem dierum Civilium laterculo decurrit; quæ hebdomas eſt, & Harmonicâ Planetas ratione continens, profana maluit nomina religioſo in ferias numero commutare. Quamdiu Antipodes ignorati, vel neglecti fuêre, noſtro νυχθήμερον Hemiſphærio clauſum fuit, & abſcondi error potuit. Principium terræ, Principium diei erat. Ab Indis & Gange,

Manil. lib. 1. ----- *ubi ſe primis extollit Phœbus ab undis,*

Paullatim per Perſiam, Syriam, Græciam, Italiam, Hiſpaniam in Oceanum vectus, mergi aquis credi-

creditus est, quemadmodum ex aquis emerserat. Verumenimverò postquàm, patefacto undique Orbe, geminâ ad Antipodes viâ itum est, & circumduci à navigantibus dies cœpit; habere initium suum desijt, ac ne finem quidem invênit. Terra enim, vastis quam ubique spatijs finibusque mare interluit, circulus est: sed nullum in circulo principium esse, nullum finem (quia ubique incipit desinitque) ratio figuræ ostendit. Etiam dies circulus est, & Sol ad se rediens dies est, qui ubique nascens ac denascens, summum ubique & imum cælum occupat; cùm & toto ubique ambitu sibi reddatur, nullum agnoscit terminum, ut quemcumque admittat. Omnes quidem qui hunc globum homines incolunt, distinctis velut lineis, ut ortum suum, & occasum, ita meridiem & mediam noctem habent; & plerique jam à media nocte, Romano more, initium *νυχθημέρȣ* computant: at quinam primi, quinam postremi habeant computéntque, & quo limite primi à postremis separentur, nemo adhuc statuit: nemo, in qua parte Orbis primus ortus aut occasus, primus meridies aut media nox collocanda esset, imò an esset, inquisivit.

Liceat igitur in hanc mihi curam, tempora omnia ex tempore computanti, incumbere; liceat, inquam, in Orbe principium finémque invenire; ut ubi primùm incipiat dies, qui ubique incipit; & quò reductus tandem desinat, qui ubique desinit, loco & termino constituto, publicè decernatur. Quamdiu volvitur, qui nunquam non volvitur, aliis, aliisque incipit; sed nisi incipere alibi desinat, semper incipiet, & unus idémque apud omnes erit. Incipiet verò, quia semel desinet; & desinet, quia rursus incipiet, semper locum, semel nomen uno circuitu mutans. Quid verbis opus? Ex se nasci diem, citiusque non esse, quàm non moveri dixerim. Nimirum quot Meridiani, tot esse initia possunt, quorum omnium unum aliquod ponendum initium est: id autem quia ubique hactenus fuit, tanquàm nullum esset, ignoratum est. Suum enim singuli computârunt. Motu tempus, tempore motum expendamus, morâ circuitum, circuitu moram. In quatuor quadrantes, quorum singuli partes nonagenas habent, & viginti quatuor horas, quæ æquales sunt, νυχθήμερον divisum est; quá quidem ratione quindecim partibus horæ singulæ exæquantur. Qui quadrante circuli

circuli à quocumque distant ortu, sex horis tardiùs diem accipiunt; qui semisse, duodecim; qui dodrante, octodecim; qui toto circulo, vigintiquatuor, id est toto die. Itaque cùm postremi primum cujusque hebdomadis diem, primi, qui continui sunt, secundum ineunt; cùm primi primum, postremi ultimum: prorsus qui loco non distant, vigintiquatuor horis separantur. Et an ulla tam lata vicinia est? totum terrarum circuitum continet: an ulla angustior? lineâ continetur. Iunguntur, ut sic dicam, tempora, quæ disjuncta sunt, & in uno eodémque die duo numerantur. Sed ita se res habet: momento temporis vigintiquatuor horæ expungendæ sunt, quæ νυχθήμερον constituunt: nisi enim ejusmodi detrimentum sit, nullum esse initium potest; ac nisi ejusmodi initium sit, frustrà νυχθήμερον computamus. Sanè idem, ut insinuavi, dies, quia nunquam desinet, semper circumducetur; imò unus ille, quia semper incipiet, omnes unum faciet, omnísque temporis distinctio, ac numeratio peribit. Deprehendunt hoc arcanum, neque satis adhuc intelligunt, qui Orbem terrarum pleno labore emetiuntur; vel etiam qui apud Antipodes contrario sibi iti-

nere occurrunt. Etenim ab ortu in occaſum navigantibus dies unus uno circuitu in lucro eſt; ab occaſu in ortum, unus interit. In occaſum, id eſt cum Sole, quod Hiſpanorum, novas terras quærentium, iter fuit: in ortum, id eſt adverſus Solem, quod Luſitanorum. Hoc diſcrimine quia ad Antipodes lati ſunt dies, nec terminus ſervatus eſt, confuſi ſunt: Sacrorum autem ratio, quæ dies ſequitur, obtinere temporis ordinem non potuit.

Quid igitur? Remedio opus, ut mundus tandem dies accipiat; confuſio, error, hallucinatio tollatur; imò ut dies ipſi lucem accipiant, tenebræ autem, quæ confuſionem, errorem, hallucinationem adtulêre, evaneſcant. Adhuc qui Orbem terrarum circumnavigant, & poſt quindenas ſingulas partes horâ unâ, poſt trecenas ſexagenas toto die tardiora, vel maturiora habent tempora; mirantur alium ſe, confecto ambitu, invenire diem quàm adferant; ignorant interim, diem unum ætati ſuæ vel adjectum, vel demptum eâ navigatione eſſe. Remedio, inquam, opus: CIRCVLO novo opus, quem VRBANIANVM; LINEA novâ, quam Ἀρχημερινὴν appello. Circulus ille autem per utrumque polum,

lum, Meridiani inſtar, ducendus, principium dierum civilium hieraticum, hactenus in terris deſideratum, ac finem exhibebit, divortium & copulam, ſpatium ac dimenſionem. Quippe integrum in ſe νυχθήμερον, totámque temporis inæqualitatem recepturus, demet tranſeuntibus, quantum unus in occaſum circulus addit; addet, quantum unus in ortum eripiet. Oportebit verò, cum qui hanc Lineam tanget, momento temporis de die in diem tranſilire, tanquàm augere vel imminuere ætatem poſſit: compendio quidem viginti quatuor horarum, ſi adverſus Solem ierit; pari damno, ſi cum Sole. Hac enim ratione qui totâ in occaſum navigatione acceſſurus erat dies, expungetur; qui contrariâ in ortum inſumendus, recuperabitur: hebdomáſque vel in ſex contrahetur dies, vel in octo exibit.

Ad nomen venio, non infimum rei pretium, ſi myſterii decus etjam amœnitate cenſeatur. Sed quod majus ſanctiúſque, quàm ab VRBANO? Sanè VRBANIANVM vocari hunc CIRCVLVM, ad felicitatem ſæculi denotandam faciet: & quem Sphæræ omnes deinceps recipient, homines ipſi publico ſibi beneficio datum ab VRBANO VIII.

 Ponti-

Pontifice Optimo Maximo, ad Orbem illustrandum nato, agnoscent.

Reliquum est, ut de loco statuatur. Per mare enim, non per terram hæc ducenda est linea, & per illum Orbis tractum, qui ab hominum consortio quàm maximè separatus, receptam hactenus consuetudinem minimè turbaturus sit. Maria in hac terræ mole præcipuè duo sunt: Atlanticum, Europæ nostræ à Columbo primùm apertum, priscâ Oceani appellatione; & vastum illud, quod Americam à tergo claudit, incerto adhuc nomine, aut improprio, ut Ἀρχημερινὸν quoque, aut PHILIPPICVM, quia PHILIPPI Regis auspiciis præcipuè navigatum, appelletur. Alterum quidem proximum nobis, & jam quasi familiare est; alterum remotum, longóque, sed tranquillo, per occasum in Orientis insulas spatio profusum. Libratis utrimque rationum momentis, remotum, proximo præterito, eligam, novum, ut sic dicam, Oceanum, novæ aptum LINEÆ, novóque CIRCVLO, qui velut terminus Orientis Occidentisque statuatur. Mare, inquam, PHILIPPICVM, sed ubi mare duntaxat est, nullis, quantum fieri possit, terris insulisque impeditum; ubi libero impetu in extrema Septen-

pten-

ptentrionis Austrique latera excurrit. Ne plura dicam; Natura ipsa & locum ostendit, & longitudinem notat, partium CCX. scrupulorum XXX. Siqui Novam hîc Albionem statuunt, imperitè statuunt. Citeriorem enim esse, quàm vulgò describi solet, ac longo in Orientem intervallo recedere hanc Draci terram, quæ pro terra propemodum habenda non est, accuratior observatio docuit. Naturam quoque ne urgeam, ipsa ad hoc mare navigatio ducit, in Orientem à Lusitanis, in Occidentem ab Hispanis directa: qui si mutuo & viciniore Americæ occursu servassent terminum, videri poterant jam tum dierum Lineam designasse. ALEXANDER quoque VI. Pontifex Maximus, cùm novo Orbem Circulo inter duos Reges divideret, magis litem componere, quàm ordinare Diem studuit. Quid? Si tam Romam, quàm Brasiliam respiceret, agebat, quod VRBANO VIII. relictum est. Prætereà, ut hæc constitutio est, nullam ferè perturbationem Orbis terrarum sentiet; & tranquilli fastorum manebunt calculi, quemadmodum Tranquillum Circulus noster mare (Pacificum dicunt) occupabit. Paucæ tantùm Indiæ Orientalis insulæ unum amittent diem; ut omnes, &

ordine,

ordine, quotquot hebdomade clauduntur, accipiant. Solæ Philippinæ, & siquæ ab Hispanis prætereà trans Circulum Vrbanianum detectæ & occupatæ sunt, uno cogentur die decedere: cedere unum Lusitanis, ut simul ab Oriente accepisse hebdomadem videantur. Solido sic quidem, æquabili, perpetuoq; nexu Orbis jungetur Orbi, & novus cedet veteri, ut maximum agnoscat beneficium, quod maximè commune erit, & dies, dierumque principium rectè tandem computet. Ad summam, CIRCVLVS ipse Ἀρχημερινὸς à polo sic utroque descriptus, supernè per urbem Romam transiturus, submittet se VRBANO suo, ut nomen accipiat, & Æternitati consecretur; imò ut legem accipiat, quâ universus deinceps Orbis teneatur. Quam legem? De omittenda in Sacro Officio feria, siquis in Occidentem navigans, hunc limitem attinget; vel duplicandâ, siquis in Orientem contrario iter cursu diriget. Linea lex erit, Roma rubrica, & hanc lineam, hanc legem, hebdomade constitutâ, subibit Pascha quoque; ille non dies tantùm, sed dierum dies; Soli obnoxius, quia Dominicus est; Lunæ verò, quia Pascha. Tria hîc verò spectari solent; Æquinoctium, Plenilu-

nium,

nium, ipſum denique Feſtum, ab utroque Religionis cauſsâ ſemotum. In Plenilunio potiſſima difficultas eſt: quod cùm in unum certúmque temporis punctum, aliam aliámque toto circuitu horam occupantis, incidat; non unâ quoque apud omnes horâ computatur. Romanæ igitur urbis, & Plenilunij in Romana urbe obſeruati (extremum præſertim ſabbati tempus attingentis) ratio habenda erit; ut ſi hîc ritè Feſtum celebretur, nullibi vitium, etiam ſequente Plenilunio, videri poſſit. Omnes hoc modo, qui Orbem terrarum circumquaque incolunt, unam inhabitare urbem, unum habere Meridianum dixerim. Omnes habebunt Paſcha, una Plenilunium; una dabit Paſcha, Plenilunium nonnullæ negligent. Vna Roma, adhuc Domina; ſed in ipſo nunc demum Orbis meridie conſtituta, & ſub VRBANO radians, tanquàm Solem mortalibus diſpenſet. Novum ſic igitur terris omnibus beneficium, novum ſphæris tabuliſque lumen veniet: lumen à die, qui à media nocte exſurget; beneficium ab VRBANO, qui diem nocti daturus eſt.

AMPLISSIMO VIRO,
ET AMICO SVMMO,

E. PVTEANO,

CIRCVLVM VRBANIANVM Ἀρχημερινὸν molienti,

GODEFRIDVS WENDELINVS S. D.



NTER *ea, quæ sæculi nostri felicitatem supra omnium retrò temporum gloriam extulerunt, primo loco numerandum puto, quòd Deus O. M. illum Ecclesiæ suæ Pontificem dedit, quo vno jam inde à Damaso nullus fuit aut constituendæ doctior, aut ornandæ scientior. Neque falli me fatebuntur quotquot honesta intelligunt, vel pulchra æstimant. Enimverò satis hoc ipsum loquuntur Hymni nuper editi: quos detersâ rubigine, quam Barbarorum sæculorum squallor affricuerat, fulgere jam clarius gaudemus, & sonare vrbanius. Ac gliscit spes, iisdem auspiciis fore propediem, ut reliqui simul Officii Sacri restituta majestas vivam religionem spiret diviniùs.*

Inde

Inde ſanè jam confido, placituram tuam cogitationem nuperam, & ſuper eâ Diſſertationem ſcripto conſignatam, de Circulo, quem in terris conſtituendum cenſebas, Ἀρχημερινῷ, *&* VRBANIANVM *appellabas. Nam ut ſuffragium meum ſcias, digna nomine tuo res eſt, & quam tantus tamq; omnium rerum ſcientiſſimus Pontifex ſacro edicto ſanciat: ut inter Breviarii Rubricas illa quoque cum primis neceſſaria lex emineat, quæ dierum ſacrorúmque, navigantibus in Occidentem exemptilium, contendentibus in Orientem intercalarium formulas præſcribat, ubi & quando hebdomas vel in ſex dies contrahenda, vel in octo extendenda ſit. Quod me hortaris verò, ut* TETRAMYRIADEM VRBANIANAM *pariter elaborem, faciam ſedulò, ſic fortè* PASCHALE *hoc æternum Eccleſiæ approbaturus; quæ ſimpliciſſimo ac facillimo hujus beneficiò poterit deinceps compendium invenire moroſarum Æquationum, quibus lancinantur ingenia, dum Epactas expangere coguntur per Aureos numeros; & hos ad Calendarium Iulianum, jam rancidum ac meritò antiquatum, jubentur dirigere. Calendarium denique Iulianum cum Gregoriano contendere quantus labor eſt! Dicas te viam ſcitari à cæco, able-*

*gari ad alium cæcum, & ad tertium tandem remitti: ut per multos anfractus nihil aliud discas, quàm operosè claudicare. Principium Tetramyriadis illud delegi, quod unà cum Calendis Ianuarijs ac Martijs Novilunium repræsentet: hoc est, cuius anni Epacta sit * asteriscus; à quo hic annus volvitur* 19231. *Et favet casus pulcherrimus, quòd abinde septimus quisque nobis exhibet in Septembri Sabbaticum ineuntem. Tibi quid videtur? An non & hoc partem faciet* INDIGITAMENTORVM *tuorum? Nullus profectò dubito, quin Cyclorum hoc omnium compendium subitariis perinde ac supputariis gesticulis felicissimè, ut reliqua id genus, sis dispuncturus. Vale Vir Præstantissime, ac me, quod facis, amare perge. Bethasiis, ipso Æquinoctii Verni die, qui S. Ioachimo sacer, labente anno Tetramyriadis* 19231. *qui est Epochæ Christianæ Censualis* 1631.


IOSEPHVS

IOSEPHVS A COSTA

SOCIETATIS IESV

LIB. III. CAP. XXIII.

Historiæ Naturalis & Moralis Indiarum Occidentalium.



VI diversum mundi iter ingressi, apud Antipodes sibi navibus occurrerunt, totum gemino semisse circulum implêrunt. Hispani quidem in Occidentem navigando, Lusitani in Orientem, quas detexêre terras, videntur conjunxisse. Quæ profectò res observatione digna est: cùm alteri ab Occidente in Sinam & Iaponiam; alteri ob Oriente ad Philippinas, proximas Sinensibus insulas, penetrârint. Ab insula enim Luzonia, quæ Philippinarum præcipua est, urbemque Manillam habet, Macaum usque, quæ juxta Iaponiam insula est, octoginta duntaxat, vel centum milliaria mari numerantur. Hîc tamen, ubi tam exiguum loci intervallum est, integrum diei discrimen esse, quis non miretur? Temporis enim calculo cùm

in Macao Dominica eſt, Manillæ Sabbatum computatur, & ſic de reliqua hebdomadis ſerie. Macäenſes enim & Sinenſes die uno præcedunt: contrà Philippinenſes uno ſequuntur. Id quidem F. Alphonſo Sanchio contigit, qui cùm è Philippinis ſolviſſet, venit, ſupputatione ſuâ, in inſulam Macaum poſtridiè Kalendas Maii. Recitaturus autem preces Horarias, in honorem S. Athanaſii, deprehendit loci incolis Inventionem S. Crucis celebrari. Quinctum enim Non. Maii Faſti inibi exhibebant. Idem illi, alio etiam tempore, ſed contrario errore, huc redeunti evênit. *&c.*

IN ALTERCATIONE

HADRIANI ET EPICTETI.

HAD. *Quid eſt Dies?* EPICT. *Stadium laboris, principium quotidianum, æterna computatio.*

NOBILI,

NOBILI, AMPLISSIMO, ET A.R.D.

IOSEPHO GELDOPHO A RYCKEL,

Monasterij S. GERTRVDIS Louanii Abbati

E. PVTEANVS S.D.

De Nicolao Ovdarto *sermo nobis fuit, viro & tuum calamum, & affectum omnium promerito. Elegantis ingenii fuit, & planè ad suavitatem carminis, & candorem Litterarum. Quæ alia scripsit desino recensere: doctissimum sanè, & prorsus admirandum* Fastorvm Sacrorvm Compendivm *est: quo me quoque excitatum fateor, ut partem studiorum meorum Dies, Menses, Annos, ipsumque, à quo hæc omnia pendent, Cœlum facerem. Quid consecutus sim, vides: Tempora omnia, incredibili facilitate, ex tempore computo. Opus dignum forTassis luce, quia à Magnis, Doctis, Amicis expetitur: etjam à* Wendelino *nostro, temporibus constituendis nato; qui huic, ut sic dicam, extemporalitati nostræ felicissimos calculos suos libens submittit. Præcipua in diebus ratio est: quos omnes*

omnes, tam præteritos quàm futuros, tanquàm unum & præsentem habeo; & sic quicquid omnibus continetur. Deesse principium, quis putaret? Hoc investigavi, invêni, constitui, & LINEAM VRBANIANAM, *sivè* Ἀρχημερινὴν *appellavi Quid meditatus sim & scripserim, in hoc nunc Compendio ostendo. Vt ad* OVDARTVM *redeam, dedit ille Fastos, & ut Mathematicum ageret, eruditissimum se ostendit. In me benignus, nomen meum exactissimo Anagrammate exornavit: vel me potiùs monuit, luctandum esse, si nomen vellem vel ultra malevolentiam, vel calumniam efferre. Coge literas, rem examina:* VERVS PYCTA VENIS. *Ita est,* πύκτης, *sive pugil sum, fui, ero. Sed nónne per luctam ad palmam? Qui sum, tuus sum, & ut fui, ero. In Arce,* XVII. *Kal. Quinctil.* ∞. IϽC. XXXII.

F I N I S.

C E N S V R A.

DIem videat hic Circulus, hæc Linea, ut certum dierum civilium principium Hieraticum constituatur. Lovanij 6. Aug. 1632.

MART. LVNAECENIVS *S. Theol. L. & Profes. Ordinar. Apostolicus ac Regius Librorum Censor.*

CVM GRATIA ET PRIVILEGIO.